OBSERVATIO CLINICO-PATHOLOGICA PERITONITIDIS IN PUERO...

Alessandro Massimo Svetincich

OBSERVATIO
CLINICO-PATHOLOGICA
PERITONITIDIS IN PUERO SCROPHULOSO

ORATIO

HABITA IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

ALEXANDRO MAXIMO SVETINCICH

DALMATA

AD CAPESSENDA

DOCTORIS MEDICINAE INSIGNIA

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

M. DCCC. XXIII.

Falletta.

HISTORIA MORBI.

Puer annorum circiter octo, temperamento asthenico-excitabili a natura donatus, et strumosa conditione praeditus (quae jam omnino patebat ex glandularum submaxillarium mole aucta, nec non fervida imaginandi facultate) cum rudi cibo plus aequo indulsisset atque vicissitudinibus sese inconsulto atmosphaericis exposuisset, febre quotidiana intermittente correptus fuit, et post quadraginta quinque morbi dies in hoc nosocomium delatus est kalendis mensis aprilis hujus anni.

Postridie in Clinicum Institutum ingressus mihique concreditus haec habui phoenomena, quae in eodem praecipue observavi. Pulsus erant frequentes, celeres atque parvi, tussis vehemens nocturno praecipue tempore, et absque excreatu; respiratio tamen libera.

Aderat capitis dolor ad frontis regionem: abdominis superficies aliquantulum tensa erat, et tactu dolens ejusdemque calor auctus potissimum in epigastrica regione versus hypocondrium sinistrum, ubi etiam magis molestus erat dolor. Parcae erant excretiones alvinae, urinae parcae, et prorsus cerevisiae colorem referebant: os amarum, lingua puncticulis rubris notata; appetitus depravatus atque irregularis; sitis ingens.

Hisce probe animadversis, egregius et illustris Consiliarius Praeceptor meus Valerianus Aloysius Brera jam inde ab initio morbum peritonitidem cum verminosa irritatione conjunctum esse judicavit ex impedito sanguinis venosi refluxu ortam, nec non a

pressione materiei in tubo gastro-enterico stipatae, ad ipsius mesenterii inflammationem vergentem, quae facillime transire poterat in tabem mesaraicam.

Quapropter ut indicationibus, quae ad illas affectiones magis aptae esse videbantur satisfieret, praemissa olei ricini potione, ad usum mercurii dulcis una cum kermes minerali confugimus; pro potu vero interdiu decoctum pectorale praescriptum fuit, et ad abdomen fotus ex infuso chamemaeli cum spiritu mindereri adhibitus.

Quotidie ad meridiem febris incipiebat cum frigore, quod calor sequebatur, et, qui mos vulgarium intermittentium febrium est, cum universali atque profuso sudore desinebat. Res ita se habuit usque ad diem curationis, scilicet a die ingressus in Clinicum Institutum, quintam, qua cum iterum abdomen, quod antea mollius evaserat, tendi caepisset, alvusque stipari, tum mixtura infusionis aquosae optimi rhabarbari cum mercurio dulci et diagridio sulphurato, syrupo cichorei cum rheo epicratice sumenda, praescripta fuit; pro potu vero interdiu in usu pectoralis praedicti decocti perseveratum.

Febris tamen quotidie magis exacerbabatur, sudor vero minus copiosus, neque universalis, sed capitis regione praesertim definitus, modo appetitus erroneus, modo anorexia.

Septima curationis die, eidem propinata fuit massa pilularum ex carbonato potassae cum extracto rhei et gentiana; pro potu vero loco praedicti decocti pectoralis decoctum graminis cum nitro.

Eadem medendi ratione usi sumus usque ad diem curae decimam, qua cum alvus iterum stiparetur, repetita fuit infusio rhabarbarata.

Sequenti die tussis molestior atque cum magno conatu; aeger pectoris dolorem accusabat. Optimum itaque esse duxit idem Professor antagonisticam metho-

dum adhibere, et unctionem stibiatam ad sternum praescripsit, donec pustulae existerent.

Hoc methodo sex dierum spatio adhibita, tussis tamen insistebat, quam ob causam unctio omissa fuit. Tunc aeger sputum pituitoso saniosum excreare caepit: tussis mitior; sed pectoris dolor persistebat. Repetita itaque fuit unctio ad abdomen, deinde ad brachia.

Vigesima tertia die rursus symptomata pejora apparuerunt; praeter consuetam infusionem propinata eidem fuit emulsio gummi arabici cum nitro et melle.

Die sequenti disuria in scenam prodiit; quare fotus ex infusu chamemaeli admoti fuerunt ad pubem.

Tussis acrior atque omnia in pejus ruebant. Ad murias calcis confugendum esse clarissimus Professor duxit, et frequentius frictiones adhibere. Verum tussis adhuc valde molesta erat; postridie major abdominis durities, nulla sputi excreatio, pulsus debiles atque adeo irritati.

Die trigesima prima ab ingressu in Clinicam, respiratio difficilissima et tussis molestissima aegrotantem nostrum acrius vexabant, nonnullas pustulas in praeputio conspeximus, nec non dispositionem edematosam. Febri ut superioribus diebus correptus fuit; pulsus tamen exiliores; tussis autem adeo ferox evasit, ut inter ejus conatus aeger ingentem sanguinis copiam ex ore et naribus effundens diem obierit supremum.

Autopsia cadaverica.

Thorace dissecto, adhaesionem pleurae costalis pulmonibus posterius invenimus, atque haec major in dextero pectoris latere erat, lobi pulmonis ejusdem lateris sibi mutuo adhaerebant, ejusque substantia mutationem quandam praeseferebat coloris obscuri, qui lentae inflammationis effectum indicabat: erat praeterea

nonnullis corpusculis acinosis conspersa, quae quidem alba erant, et magnitudinis parvi pisi. Pressione leviter instituta, ex ore et naribus effluit sanguis, quem quidem ex alicujus vasis pulmonalis laceratione propter tussis conatus originem duxisse arbitrati sumus, et re quidem vera sectione in substantia pulmonali instituta, praeter rumorem aereum, sanguinem ex propriis vasis profluentem audivimus. Pulmo sinister carebat quidem corpusculis acinosis, at in substantiam fere steotomalosam conversus erat. Glandulae pulmonales durae. Cor mole aequo minore, at nullam aliam a naturali conditione aberrationem praeferens. In abdomine omentum acinosum perinde ac de pulmone diximus; mesenterii autem glandulae adeo durae. Lien mole adauctus erat, coloris violacei, punctisque albis conspersus, quo caeso praedicta acinosa corpuscula majori copia aspeximus, sicut ex visceris imagine a me delineata et in Museo patologico servata videre est.

Cum ejusmodi substantia chimicae analysi subiecta fuerit, pulverem inde obtinuisse retulerunt peculiarem, quae natura inter mucum densatum atque firmum et albuminam coactam intercedebat; quae analysis, quippe minus absoluta, cum nullo pacto ad naturae morbi investigationem illustrandam valere intelligeremus, idcirco illius considerationem omittere fas esse arbitrati sumus.

Jecur nihil morbosi contemplandum exibebat, si molem adauctam excipias ejusque colorem pallidum; veruntamen cistifellea bile prope vacua; cujus loco limpham continere videbatur. Inter diaphragmatis laminas induramenta glandulosa cernebantur.

Observationes.

Quibus animadversis, haud longe a veritate aberrare mihi videtur opinio, qua prima affectionis origo atque sedes in liene statueretur.

Jamdiu de usu lienis a clarissimis viris disputatum est, atque alii aliam sententiam de hac re protulerunt, quare nonnulli supervacaneum deputarunt ex eo quod aliquando defuisse absque ullo salutis detrimento observatum fuisse retulerunt. Alii contra utilem quin etiam ad sanitatem omnino necessarium lienem judicarunt, et in ejus defectu vel aliquam halucinationem obortum esse dixerunt, vel partes alias in proximis organis delitescentes defectui illi sufficisse. Qui tamen neutiquam inter se conveniunt de munere lienis assignando.

Antiquiores lienem putabant ad atrabilis, quam mente finxerant, effectionem comparatum a natura fuisse, alii ad risum ciendum; sed tamen sententia quae magis probatione digna visa est praesertim post clarissimi Halleri animadversiones et De-Felici pericula dedita opera instituta, est illa qua putatur lienem ad bilis aptioris secretionem operam quam maximam conferre, indeque fieri ut ex vitio lienis et bilis vitio laboret, et digestiones minus perfecte fiant, immo vero et circulus ipse sanguinis per viscera abdominis, aliasque corporis partes plus minus vertatur.

Jam vero convenit inter omnes in lienem magnam copiam sanguinis ex arteria celiaca confluere ibique coacervari, indeque visceris illius amplitudinem augeri, si desit externa pressio. Atqui cum ventriculus cibis, aut aere onustus ampliatur, proximum lienem comprimit, cui pressioni accedit etiam illa, quae a diaphragmate proficiscitur.

Ex duplici ejusmodi pressione moles lienis arctatur, atque sanguis in illo coacervatur, alio divertit, et

partim ad ventriculum se fert, illuc etiam ab irritatione alimentorum, uti pulcre animadvertit Couvier avvocatus, partim cum sanguine hepatis consociatur.

Ex primo ejusmodi affluxu succi gastrici majori copia et meliori conditione secernuntur, ex secundo aptior bilis secretio efficitur. Atqui minuta in vacuo ventriculo praedicta pressione, de integro lienis moles augetur, et major in illum sanguinis affluxus, atque coacervatio contingunt.

Veruntamen illud animadvertere cum Doct. De-Felici debemus, lienem non solum ad succi gastrici secretionem augendam propter majorem sanguinis ad ventriculum affluxum et propter mechanicham pressionem, quam digestionis tempore in eundem exercet, destinatum a natura fuisse, verum etiam ad augendam omnium earum partium actionem, quae sanguinem repetunt a ramis finissimis triplicis diramationis arteriae celiacae aptum esse, atque ideo ut causa acutae vitalitatis, energiae, caloris, contractilitatis muscularis ventriculi et duodeni, nec non et auctarum pancreatis et hepatis functionum, habendum esse.

Cum lienis amplitudo alternis augeatur et minuatur prout ventriculus vacuus, vel cibo onustus est, quod jam a priscis medicinae temporibus cognitum fuit, facile consensum illum intelligere possumus, qui inter utrumque viscus intercedit.

Id praeterea ex eo patet, quod in lienis labe ex. gr. obstructionibus aliisque vitiis multae ventriculi affectiones observantur pro varia sanguinis copia atque conditione illuc affluentis, scilicet modo pravae digestiones, modo anorexia, modo voracitas, modo appetitus depravatus, de quibus omnibus nostrum aegrotantem questum esse jam diximus.

Inde etiam repetendam esse puto febrem intermittentem pertinacem, cefalalgiam imo vero et cachecticam aegrotantis ipsius conditionem, quare causa pa-

tet, cur opportunis remediis tonicis, resolventibus, amaris cum vitiositati lienis aliquatenus prospicere saeptum est, functiones etiam ventriculi at proinde digestiones ipsae aliquatenus meliores evaserint.

Quod lien ad bilis secretionem magno quoque sit adjumento, quis unquam negare potest? Et sane, ut ait Doctor De-Felici, in foetu, in cujus ventriculo nulla fit digestio, neque ulla bilis secretione opus est, lien mole parvus conspicitur, quin etiam ad decimam hebdomadam in embrione humano vix lienis forma in conspectum venit.

Ubi vero ventriculus munia, quibus a natura comparatus est, obire incipit, et bilis ad digestionem operam conferre debet, lien augetur prout crescunt praedictarum functionum exercitium atque necessitas.

Infante in lucem edito, vena umbelicalis obliteratur, hepar mole prae proximis visceribus minuitur, augetur lien, et vena splenica, quae vicem umbelicalis gerit, et tunc genuine bilis secretio incipit.

Haec omnia satis superque confirmant hujusmodi viscus in ventriculi et hepatis adjumentum destinatum a natura esse atque hinc digestioni ac bilis secretioni inservire.

Itaque nihil est, cur miremur, si in cistifellea loco bilis serosum liquorem deprendimus.

Praeterea ex majori sanguinis e ramo sinistro celiacae in lienem a nimia externa pressione liberum affluxu cum sanguis ibidem magna copia coacervatur, atque per aliquod tempus moretur, aliquam mutationem subit, quapropter in sequente illius visceris compressione magna pars sanguinis, quae in lienem confluebat, alio divertit, indeque majori vi ad ventriculum adque hepar sese confert, eorumque secretionibus operam navat.

Sanguis autem, quem coacervatum in liene diximus per ramos venae portarum in diversas abdominis

partes, in quibus minorem offendit resistentiam, dispertitur: quod si quodam perenni ordine perficiatur aequilibritas circulationis habetur, quae plus minus turbatur, si sanguis ex vitio lienis alium tenere cursum coactus sit. Itaque ex obstructio liene cum et illud quasi sanguinis diversorium in viscere illo desit, et sanguis, qui ex sinistro celiacae ramo ad illum appellebat, impedimentum suo cursui offendens alio divertere debeat, et venosus ipse sanguis venae portae ex liene redux magna ex parte deficiat, inde naturalem motus sanguinis aequabilitatem non solum in ventriculo, in hepate, atque in proximis aliis imi ventris visceribus turbari, verum etiam aliquatenus idem contingere prope in universo corporis sanguineorum vasorum sistemate.

Quapropter haud immerito arbitratus est Hetwson sanguinis globulos in liene perfici; et saepius contingere videmus epistaxim et leucophlegmatiam, et hydropem ex vitio lienis.

Immo vero identidem observavi sanguinem in emophtoicis excretionem a lienis dolore constanter praenuntiatum fuisse, cui dolori aliquando socii sese addebant calor et dolor capitis.

Quae cum ita sint, apparet quanta sit potestas lieni in animali oeconomia, et quantum a veritate aberrare illi videantur, qui lienem nihil faciendum quippe viscus omnino iners atque supervacaneum judicarunt.

THESIS PRIMA

Lien ciborum concoctionem adjuvat.

THESIS SECUNDA

Lien optimae bilis secretioni inservit.

THESIS TERTIA

Lien aequabilitati motus sanguinis prospicit.